



Anni Sancti Mensis Decimus October.

1. **B.** Stanislaus aded exhorruit loquelas castitati adversantes, ut ad eas ab aliis prolatas animo etiam saepe deficeret. *Ex Vita.* Imitare: exhorresce & fuge loquelas castitati contrarias, utinam non nimium frequentes? Gravius quid est ejusmodi effutire sermones, aut audire, ac plerique sibi persuadeant. Non unum legere memini, quem turpia ejusmodi loquentem mors repentina oppressit, non unum qui libentius audiendo talia ad horrenda deductus est flagitia.

2. Monachii Sodolis innocens dolose ad domum impiam pertractus ad scelus incitatus, sic socium alloquitur: Tunc Deo spectante scelestum hoc facinus vel cogitare solum audeas? Mox arrepto pugione, aut exitum dabis, ait, aut moriêre: Mortem mihi ipse inferre paratus sum antequam in conspectu Dei peccem. *Lechner.* Imitare. Memento Dei tui. Superiorum oculos effugere his feriis potes, non Dei. Generoso animo rejice omnes ad scelus quodcunque invitationes.

3. Berchmannus singulis horis contritionem, vesperi præcipue, elicere intensissimam solitus

solitus est. Antverpiæ adolescens tempore frigidissimo de nocte reperitur devotissime orans : S. Petrus de Alcantara etiamnum adolescens preces suas manè accuratissime persolvit. *Ex Vita.* Imitare : si unquam alias tum jam sollicitè tuas preces persolve, Manè, & vespere. Contritionem omitte nunquam. Recordare narrati alibi exempli, de infelici studioso nocte in peccatis mortuo, & quidem feriis autumnalibus. Econtra de adolescente alio scimus, qui in ultimo vitæ momento contritionem eliciens orcum effugit. Tu assuesce indies rei tam necessariæ :

4. Josephus notus ille in scriptura sacra adolescens, ab impia muliere ad scelus sollicitatus, relicto in impuræ manibus pallio fugit dicens antea : Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum ? *Ex Scrip.* Imitare : generosam capesse fugam, ubi periclitatur castitas : sæpe te ipsum quære. Quomodo possum hoc facere ? quomodo peccare in Deum meum, mei aded amantem ? revera enim, quod S. Polycarpus dicebat, nihil mali mihi Deus fecit, cur offendam ?

5. B. Aloysius inter plurimas Aulæ occasiones scelus nullum grave admisit : Indies corpus & animam ter Angelo custodi commendabat ; à quo mirabiliter è periculo incendii, & submersionis ereptus est. *Ex Vita.* Versaris jam inter peccandi occasiones plures, attende ne labaris & pereas, Cole Tutelarem

tuam :

tuum : hunc sæpe invoca, ut te, velut Tobiam
Raphael, ducat in via periculosa.

6. Mediolanensis quidam Sodalis ipsum
Xenodochii nomen horrebat. Victoriæ sui cu-
pidus adit Præsidem, rem exponit. certum in-
quiens mihi est; vim mihi faciam. Dicitur
dies : adest primo manè : adit Xenodochium;
expallescit, horret, titubat, sudat. Christi amo-
re affirmatus cubicula ingreditur, terram oscu-
latur, sternit lectos. omnibus ipse factus ex-
emplum. Tantum profuit semel se vicisse.
B. Aloysius pariter se victurus, peste infectis
serviebat, morbo inde contracto factus victi-
ma charitatis. *Lechn.* Hæc olim egere Sodales.
Simile quid à te non ausim petere; at hoc cer-
tè, ut vim tibi inferas. Vince te ! vince te !
Regnum cœlorum vim patitur. Vince te, fu-
giendo pravas illas occasiones, illa confor-
tia, &c.

Incoltadii Sodalis quidam à prima sua, quâ ex-
celluit, morum integritate paulatim seductus lusui,
& potationi (consuetudo scilicet adolescentum talium
vicio) totum se dabat, studiis relictis. Noctem
etiam consuetudini huic dedicabat sæpe mediam :
quod dum vice quadam egit, discedentibus sociis
hic in suo cubili seminudus in mensam dormitabun-
dus se acclinat, cubito innixus. Candela ibi posita,
quo, nescio, casu adnota, vestes miseri corripuit.
Exigilat miser, & inter flammæ se conspiciit; eju-
lata domesticos excitat. nonnisi diuturno labore ve-
stes reliqua à corpore avelluntur; corpus miserrime
ustu-

sustulatum apparuit, dolore adolescentis semmo per octo dies prostrato: unam suam in cultu Mariano segnitiam incubabat, deflebatque. In hoc quidem felicior alio, qui simili casu è flammis his terrenis ad perpetuas inter despabundas, & blasphemias voces abiit. Ann. S. J. Vade & etiamnum effusare nude, quid demum est invisere cauponas, lusu se & potui dare? Aves scire quid sit? dicam: est Sodalitatis regulas conculcare: datam B. Virgini fidem fallere: tempus studiis & pietati consecrandum otiose perdere: sumptus parentum dilapidare: innumeris peccandi occasionibus se exponere: Dei Majestatem offendere: divinam in se Nemesein concitare: Verbo; properare ad Tartara.

7. S. Quid Confessor nullâ die lætus notatus est & hilaris, quàm quâ orationibus vacaverat diutius & pauperes adjuverat liberalius. *Ex Vita.* An lætam tibi promittis conscientiam si ferias has exigas inter illicita gaudia? ne speres. Dulcia videntur, dum sunt præsentia; sed ubi elapsa sunt, sed ubi Dei offensi memoriam ingerunt ô quàm accerba! Ergo sic statue vivere, ut elapsis feriis gaudere possit conscientia tua.

8. B. Jacobus Alemannus sociorum suorum scelera advertens monere eas, & increpare liberrimè consuevit; neque irrisionibus eorum, & jocis moveri se passus est, ut id omitteret. *Vita.* Homini Deum amanti non satis est cavere peccata sua, sed etiam aliorum flagitia conatur impedire. Tu quid agis? an non frequentes

quentes sunt rei hujus occasiones? Ede specimen aliquod tui in Deum amoris; liberiores aliorum sermones carpe; aut quod melius, uge.

9. Adolescens quidam sanctioris vitæ desiderio incensus Religionem petierat. Fervore magno cœpit, sed asperitate ordinis territus parabat exitum. Apparuit ei in somnis mater, & ostensis inferorum suppliciis hæc in fine verba addidit: si vis evadere inferni tormenta, & adipisci gaudia paradisi, persevera in incepto. Perseveravit etiam, satius ducens modicum pati in mundo, quàm horrenda in orco. *Spec.* Inferorum supplicia si cogitares sæpius, credo constantiorem te fore in servandis propositis tuis. Nulla te certè difficultas à Dei servitio absterret. Hinc si sapias, memorare novissima tua, præcipuè infernorum; non peccabis; constans eris. Nemo enim uti S. quidam Pater asseruit, qui Gehennam habet ante oculos, incidet in eam; Nemo inferni memor peccare potest.

10. Sandomiræ in Polonia juvenis nimis Dei misericordiæ confidens per pessima quævis præceps ibat: apparet ei vice quadam cultus Angelus & ait: Finis tui memento! confessarium aecede. Confitere! Alius Cracoviæ de salute desperans flumen petierat, ibi se submersurus. Adest ei Angelus, renitentem etiam periculo liberat, jubet confiteri. Alius Marcoduri nocte hanc Angeli vocem audiit,
quâ

quâ emendationis procrastinatio carpebatur. Necdumne times impie tribunal supremi judicis? quâ fronte coram eo comparebis! In singulis profuere Angeli monita, *Ann. S. 7.* In te utinam profint eadem. Verè verè eadem resonant in conscientia tua voces: Memento finis tui: confitere! time judicem! noli tardare, &c. ab Angelo tuo sunt istæ: has audi: sic enim jubet Deus: observa eum, ait, & audi vocem ejus.

11. S. Hilarion vitam Magni Antonii considerans, imitari eum sedulo cupiebat; hinc adhuc quindecim annorum adolescens eremum petit, vitam ibi mirabilem, & rigidissimam vivit: illud notandum, quod tentationes impuras victurus jejunium rigidum admodum & pertinax suscepit, sic alloquens corpus suum: Ego aselle faciam, ut non calcitres, ut ne de scelere quidem cogites. *Vita.* Securitatem his feriis nullam expecta; imò time dæmonis tum vim, tum fraudem. Resiste tentationibus viriliter: mortifica corpus tuum, ne nimis ei indulgeas in cibo & potu; sic enim oleum igni affunderes. Memento etiam imitationis Sanctorum, & fervidorum adolescentum.

12. Anonymus quidam nobilis parentis filius dum paucis post obitum diebus cadaver patris vermibus plenum conspiceret; quid demum est, ajebar esse magnum? hisne pascendis laboramus? Inde relicto mundo ad san-

tiores

etiores pro anima curas conversus cœnobium intravit. *Spec.* Salutaris memoria mortis! ah cui laboras studiose? corpori, quod paulo post erit esca vermium? stultus labor. Cur non pro anima æternum victurâ sollicitus es? & hoc quidem tempore? quis enim scit, an non propior tibi mors jamjam immincat? juveni cuidam florido dicebat P. Colnagus S. J. Dum maximè felicem, & securum te credes, morieris: & ita contigit mortuus, dum patris morte lætus ei pararet exequias. *Ann.* Studiose, nunquam te magis securum credis ac jam; Noli fidere; fortè, fortè jam januas mors pulsât. Cura animam.

Adolescens quidam P. Drexelii condiscipulus, integerrimi primùm exempli adolescens, quæ nescio ex radio sanctius vita institutum deserit; ad patrem revertitur, lusibus, potationibusque dies noctesque vacat: verâ deficiente pecuniâ adulternam ipse conficit: in quo scelere deprehensus carnifici manu obtruncatur: palam fassus, has esse pœnas perfidie & inconstantia sue. Alius ejusdem inconstantia graviores pœnas dedit; primo enim mense, quem deliciis totum dare statuerat, repentinâ morte ad judicis tribunal absque ullo pœnitentia signo evocatur. Terribilius est, quod addo: Andreas, Paulus, Nicomachus, quod Christiani essent, torquebantur. Nicomachus dolorum acerbitate victus fidem deserit, idolo sacrificat. Sed ecce ipso illo momento à demone arripitur, alliditur terra, suffocatur. Quod videns puella duodecim annorum, Dionisia dicta, exclamabat:

O te infelicissimum hominem, qui propter unius ho-
ra spatium perpetuam, & inenarrabilem poenam
tibi acquisivisti. Spec. & Ann. Sic est: O infeli-
ces, qui constantia & data Deo fidei obliviscuntur,
peccata repetunt, eterna se damnationis exponunt
periculo. Odit, odit Deus inconstantiam: punit
desertoires suos. Te ne etiam puniat, cave. Noli
Deum & facta toties ei proposita, deserere; ne ater-
num deseraris à Deo tuo.

13. B. Stanislaus indies duobus aut tribus
missæ sacrificiis astitit. S. Edmundus nullo die
idem neglexit. Vita. Quàm turpe est, leve adeò
obsequium Deo negare, templo se subducere!
Cave, hoc audeas. Infelicem diem illum ha-
beas, quo tremendo illi Mysterio debitâ pietate
non adstitisti. Tot horas otio & somno immo-
las, cur non Deo & animæ mediam donas?

14. Falco Adolescens notissimæ in Angelum
Gustodem pietatis, vovit in ejusdem honorem
nullum mendacium deliberatum admittere. In
jurgio quodam Sodalem suum occidit. Interro-
gatus à Magistratu, mendacio uno vitam sibi
servare poterat, cum testes homicidii essent
nulli; sed voti memor statuit potius vitam per-
dere, quàm votum violare. Veritatem fatetur,
condemnatur, educitur, sed mirabiliter ab An-
gelo liberatur. Pexenf. Placet Angelo tuo fu-
ga peccati; hoc cum modo venerare. Disce
etiam, quàm constans debeas esse in propositis
tuis. Mori potius, quàm peccare.

15. S. Franciscus Seraphicus mendicum sine
stipo

Ripe abire permiserat : Facti pœnitens cum re-
 vocat ; sanctè promittens , nihil se posthac ne-
 gaturum , si amore Dei peteretur . Et hoc San-
 ctitatis initium fuit . *Ex vita.* Quid tu amo-
 re Dei ages ? perit Angelus tuus Custos , ut Dei
 tui amore abstineas ab hoc aut illo consortio ,
 peccato &c. An nimium tibi est ? cave dicas
 amari à te Deum , si non agis . Amâsne Virgi-
 nem Matrem ? in hoc etiam ostende : Ejus a-
 more fuge peccatum aliquod præcipuè tibi fa-
 miliare . Hoc peto à te ego amore B. Virginis .
 An negabis ? Non sic Alexander Hallensis , qui
 votum fecit negandi nihil , quod amore Virgi-
 nis pateretur ; miras exinde gratias consecutus .
 Imitare in hoc : Cogita subinde ; amore Dei
 mei ; amore B. Virginis cavebo peccatum hoc .
 Quid facilius ? Quid salubrius ?

16. Joannes annos duodecim natus , è pa-
 tria Hispana à Malabaribus in servitutem ab-
 reptus Mahometano cuidam Regulo dono
 datus est . Regulus blanditiis variis & promif-
 sis , nuptiarum etiam cum filia sua oblatione
 pueri animum expugnare laborabat , & Christi
 fidem ei rapere . Nihil his proficiens , tormen-
 ta exposuit , mortem intentavit . Minas inter
 & blanditias medius puer breve sibi tempus
 postulat , non ut deliberaret , sed Deum pro
 constantia exoraret . Fusis precibus surgit , his
 vocibus ad tormenta se offert : Christianus
 sum : Christo vivo : pro Christo moriar : nun-
 quam Christum defero . Has easdem voces

inter tormenta terrifica repetiit pugil invictus.
Pexenf. Disce quâ constantiâ dæmonis homi-
 nûmque tentationes hoc præcipuè tempore de-
 beas excutere. Dic: Sodalis sum; Christianus
 sum: Nunquam hoc facio.

17 Duacensis quidam Sodalis à puella ten-
 tatus horruit, exclusit vi impiam. nec sub spe-
 cie necessarij etiam obsequi eam ad cubiculum
 ultrâ admisit. *Lechn.* Fuge eos, quorum scelere
 tentaris ad impia. Fuge sexum alterum.
 S. Thomas Aquinas semel à muliere propudio-
 sâ tentatus mirum, quantum à sexu illo abhor-
 ruit. B. Aloysius ne cum matre quidem sola
 loqui voluit. S. Borgias mulieres necessariò
 accessurus cilicio se muniebat. Sic Sancti a-
 gunt. Salutis verò incurii, neque aspectus, ne-
 que conversationes liberiorés timent. Atque
 utinam non graviora audeant? Quæ verò
 consequuntur? tristis docet experientia.

18. S. Vitalis filius S. Felicitatis ad colenda
 idola incitatus, his Præsidem verbis allocutus
 est: Quis tibi melius videtur vivere, an qui
 Deum colit, an qui diabolum quærit habere
 propitium? Ego Deum meum colam. *Vita.*
 Studiosè, si idem ex te sciscitarer, succenseres
 fortasse mihi; quia res certa est, solos Dei cul-
 tores beatè vivere. Sed an opere ostendis hoc
 à te credi? Cur ergò relicto Deo, conculcato
 Deo ad dæmonem confugis? cur Deum of-
 fendis? an benignius te tractat dæmon? quid
 spondet? Jam breve gaudium, sed terrificis
 con-

conscientiæ angoribus mixtum: in æternitate ignes perpetuos. Quid Deus? Præmium in cœlo perpetuum, consolationes etiam in vita hac, mercedem minimi cujusque operis boni: nam & vestigia & gressus numerat Angelus; remuneratur Deus; ut habetur in exemplo notissimo. Elige quem colas, cui servias.

In Peruviana Provincia Sodalis (si nomen scilicet spectes) erat, qui fœdissimo scelere cum puella quadam admittendo assueverat. Die quodam dum infauis deliciis fruitur; subito cœlum tonitru concuti, terra tremere, densas inter tenebras micare ignes, & per fenestrarum rimas effusi, impii oculos ferire; imber etiam cum grandine sub tectum delabi. Puella territa, ô Virgo Maria fer opem! exclamat: at impius: Tace stulta, ait, nunquid opem tibi Maria feret? Vocem extremam fulmen excepit, & loquentem ab amplexu puella avulsam exira lectum eiecit, flammâque involvit. Puella surgere, parare opem, ejus nomen inclamare: frustra. Ergo digitos pedum trahit, & hi divelluntur toti: horrendum ergo vociferans vicinos convocat: hi cadaver protrahunt, sine dentibus, sine lingua, sine anima reperiunt; terribile iusti iudicis punientis exemplum. Bonif. Ita in puncto ad infernum descenditur. Eò deducit imò deturbat scelus illud execrandum impunitatis: Ex hoc enim in blasphemias, in horrenda quavis flagitia facilissima via est. Vide nunc, & illi citis indulge gaudiis: eâ ipsâ hora gladium vibrabit Divina Nemesis, iustoque te iudicio detruet ad tartara. Senties, senties ibi, quid sit gustasse paululum mellis;

*Ex aeternum mori. Illud maxime terrificum: ex
 amplexu ipso, ex medio gaudii rapti ad tormenta.
 Expavesce! cave peccatum quod vis? an enim hoc
 an illo damneris; quid interest?*

19. S. Joannes Epheso excedens juvenem
 habuit obvium, cujus innocentia delectatus,
 eum Episcopo loci custodiendum tradit. Ab
 hoc sollicitè instructus, baptizatus, sanctè edu-
 catus est. Elapsis annis aliquot deteriores
 quibusdam associatus, ab his paulatim seductus,
 ad furta etiam & latrocinia inductus est. Au-
 diit hoc redux S. Joannes, & gemens sylvas
 adit, in quibus commorari dicebatur miser Ju-
 venis. Obviam ei factus, precibus & lachrymis
 invitat ad reditum; reducit Ephesum; ubi
 peccata vitæ liberioris deslere & seriam agere
 docuit pœnitentiam. *Pœnens.* Ah quo recidunt
 sanctorum etiam Adolescentum mores; si sce-
 ratis sociis obsecundent? Peristi, si hic non
 caves. Imitare pœnitentem Juvenem hunc, si
 errantem secutus es.

20. Alexander Berbius notissimæ integra-
 tis adolescens cum dæmonem in mortis articu-
 lo præsentem sibi videret, sic eum imperterritus
 alloquitur: Quid quæris, aut quid vis tibi be-
 stia? facesse; Testimonium meum, Deo fa-
 vente bonum est. Berchmannus nuntium mor-
 tis amplexatur præ gaudio; Christi effigiem
 complectens ait: Christe tu unicum bonum es;
 quod in vita habui & habeo, sed ne deseras me
 jam. *Vita.* Charissime, si moriendum jam tibi
 esset,

esset, an eadem possent esse voces tuæ? an testimonium conscientiae bonum est? Fac ut sis, aliàs mortem time infelicem. Vis ut à Christo non deferaris in morte? noli eum peccando deferere in vita.

21 Ubaldinus adolescens piissimus, videns socium in templo irreverentem, à turba eum seducit, sic alloquitur: Christianum quidem neminem decet talia in templo agere; minime autem decet eum, qui cliens Virginis sit, ejus tunc videat filium pro se immolari. *P. N. eff.* Reverentiam in templo totâ virâ tibi habeas commendatam. Absit à loco sacro omnis garrulitas, risus, irreverentia.

22. Juvenis impiissimus, uti in vita S. Lydwinae habetur, ad scelorum confessionem impelli non potens, metu poenitentiae, morus tandem est, ut peccata sua sanctae huic Virgini exponeret: illa jussit nocte unâ immortum jacere in lecto. Non potuit hoc ferre Juvenis, licet ab initio facillimum crediderit: hinc orta fuit cogitatio: Quid ergo in inferno erit æternum tormenta horribilissima tolerare? Hac cogitatione fractus confessionem poenitentiamque libens est amplexus. *Ex vita.* O studiose, si subinde cogitares, quid sit æternum inter inferos pati, impossibile foret, ut ullius peccati voluptate tenereris, aut poenitentiam ullam respueres. Ah memento æternitatis! Ardere semper: nunquam liberari: æternum! & quidem pro momento unico.

23. Sidrach, Misach & Abdenago juvenes fortissimi statuam Nabuchodonosoris adorare jussi aut caminum ignis ardentis tolerare, heroâ voce responderunt: Deos tuos non colimus, & statuam auream, quam crexisti, non adoramus. Vocibus factum respondit: Ignem elegerunt præ peccato. *Ex L. Dan.* Imitare in hoc: nullo proposito damno, nullâ spe præmii Deum audeas offendere. Responde dæmoni: nolo hoc consortium: detestor hanc occasionem: non accedam, &c.

24. Menensis Sodalis in Sicilia fuit, in cultu B. Virginis admodum tepidus: huic nocte apparet Præses sic inquiring: An impunè tibi negligentem esse licere putas? falleris miser: jam nomen tuum ad magnam Matrem delatum est: ab ea pœna tibi imminet, nisi sodalium officia posthac facere, non tantum nomen inane habere velis. Ter repetitæ voces Juvenem ad sanctiora compulerunt. *Nadasi.* Compellant utinam & te eadem conscientia voces. Crede, crede, nomen tuum ad tribunal Virginis delatum est: pœna imminet, nisi emendes te. In quo incipies?

Juvenis flagitiosus cum morbo in lectum prostratus mentem ad prioris vite rationes revocasset, immensâ criminum mole obrutus de salute sua desperare coepit. Monentibus meliora amicis respondet: Quid mihi cum Pœnitentia? scio me Tartarorum fore incolam. Actum est de salute mea: spes omnis abscissa est. Instabant amici lacrymis minisque, sed frustra

frustra. Christus ipse videndum se ei tandem exhibet, ostendit vulnera. & veniam promittens ad scelerum emendationem, confessionemque animat. Sed neque sic cor saxum emolliri potuit. Ergo Christus ex lateris sui vulnere manum multo implet sanguine, in obstinati faciem projicit, additâ tremendâ hæsententiâ: Hac amoris mei, contumacia & obstinationis tua nota, hoc signum sanguine meo pictum olim contra te ad tribunal meum, reum te arguet contempta clementia mea & merita damnationis tua. Quâ acceptâ voce actus in rabiem miser obiit. Specul. Bonitatem divinam contemnantibus terribile impendet supplicium. Ipsa illa Christi erga peccatores charitas & patientia à peccatore contempta angebant inferos. Tu quid exspectas? monet te Deus, ut serio tandem resipiscas ut vitam aliam inchoes, ne bonitatem ejus irritare pergas: Time, time, si non obsequeris. Accusatores tot habebis in judicio, quot vulnera Christus sustinuit.

25. Avenionensis Sodalis impia rogatus, respondet: Ego jam me pridem Christo JESU, ejusque sanctissimæ Matri dedi; non facio ista. Lechn. Hæ sint tuæ ad dæmonem & ejus socios voces. Recordare, quoties te obtuleris Deo & B. Virgini? Cur ergo oblata ei membra adhibere non trepidas, detestanda adedò ad scelera? non pœnam perfidiæ times?

26. B. Stanislaus in litteris ad patrem scripserat: Quis plus amandus? an homo, an Deus? cui obsequendum? Ex vita. Versetur hoc ob oculos tuos hoc potissimum tempore.

& cave ne Deum offendas in gratiam socii tui. Deus te damnare æternum potest, non socius. Deo obedi, non dæmoni, aut homini, contrarium Dei præceptis postulanti.

27. Sodalis quidam vitæ liberioris in Patro-
num menstruum acceperat S. Hieronymum :
hic nocte apparens Juveni, fornaeem accensam
ostendit inquires : In eam conjicieris, nisi mox
emendes. Territus peccata expiat, emendat.
Lechn. Studiose, etiam Feriis hisce patent infer-
ri : hæc tibi ostendit Custos Angelus ; hæc mi-
natur, nisi te emendes. Resipisce : actum alias
de anima.

28. S. Silanus filius S. Felicitatis sic Tyran-
num allocutus est : Si tua tormenta timentes
Deum offenderimus, in æternum interitum &
horrenda supplicia incidemus ; sed quia sci-
mus, quanta justos maneant præmia, securi
jussa tua contemnimus, ne Dei gratiâ excida-
mus. *Ex Vita.* Imitare : Cælum respice : re-
spice Tartara ; ibi mercedem, hîc pœnas. Erit
hic fortissimus ad fugienda peccata stimulus.

29. Iogolstadiensis Sodalis turpi cuidam
vitio deditus, agnito salutis periculo remedia
sanitatis inquisivit : Jussus est frequentius
S. Eucharistiam accedere : accessit devotione
maximâ ; falsus deinde, quod ingens sceleris
odium ex S. Communione perceperit ; unde
facillima ei fuga accidit ejus, cujus tanto amo-
re tenebatur ? addidit nihil se eo tempore à
Christo petiisse, cujus compos factus non sit.

Lechn.

Lechn. Imitare : Efficacissimum remedium frequens & devota S. Communio. Hanc ne negligas, si consuetudinem extirpare velis. Aderit Christus Eucharisticus, opem feret, si voles.

30. S. Marcialis filius S. Felicitatis ad ejurandam Christi fidem incitatus, monita & minas contemnens aiebat ad Præsidem : O si nosses, quæ pœna Idololatriæ essent inter inferos constitutæ ! aliud sciperes. Timor gehennæ à peccato avocabat S. Marcialem. *Ex vita.* Studiose, sæpius hujus tibi ingero memoriam ; si enim infernalium nosses supplicia, non ageres ea, quæ jam imprudens agis. Accede subinde ignem aliquem, & exemplo B. Aloysii perpetuas in eo flammæ meditare : quære ex te, quomodo tolerare eas possis ? O si nosses ! aliud sciperes.

31. Leodatus Juvenis innocentissimus beatæ Virgini addictissimus Religionem S. Domini perierat, ut tantò securius Deo & B. Virgini deserviret : Ducentis sæpe vicibus indies Virginem clementissimam invocabat. Ager à pia hac Matre invisebatur : quærebat illa, an abire ad se & Filium suum veller ? reposuit is, & quænam tu es ? Tum Virgo : Ego sum Mater misericordiæ, quam toties invocatam, modò præsentem vides : eja ad cœlum pergamus. Dixit, & animam famuli corpore liberatam ad astra deduxit. *Specul.* O Studiose, quàm bonum est Virgini huic servisse, eam invocasse ! in-

voca indies : proteget te, & defendet. O quale tuum erit in hora mortis solatium, si clementissima Mater his te in animo vocibus compellabit : Eja ad cælum pergamus. Nunquid lætus tunc voci Marianæ obedire cogitas? Et jam obedi dicenti : Eja ad emendationem pergamus : ad Confessionem, ad templum pergamus.

Leontius Comes adolescens è Marchiavelli principis vitam instituerat. Animam hominis mortalem credens, tempus oratione edendo, potando, lascivendo perdidit. Transiit cœniterium, ad calvariā mortualem offendit, convivam sibi vesperi adesse jubet, & edicere quidnam ergo animabus hominum in orbe altero eveniret. Cœpto vesperi convivus adest offensus hospes, frustra reluctantibus famulus intrat, mensa assidet : subducunt se alii ex alius terrore immani percussi; soli Leontio negatur effugiendi facultas. Feralis hospes invitatum se esse asserens, multa de animarum immortalitate & suppliciorum aternitate dixerat, tum subjungit : Atque ne dubia tibi hac sint, experiere eadem mecum, qui Avus tuus sum. Mox medium complexus Leontium, jam ante horrore prope exanimem, frustra vociferantem & sociorum opem inclamantem valide ad eò vicino allidit parieti, ut dispersum adhaeruit cerebrum, triste rei totius argumentum. Animam cum corpore infelici ad aternos inferorum reges secum abduxit larva Tartarea. Pexens. Justus es Domine, & reum judicium tuum! Ede, bibe, lude, post mortem

mortem nulla voluptas, dicebat infelix iste Leontius. Verum, ah verum nimis est, post mortem nulla voluptas impio homini, querenti hic in deliciis miseris requiem & consolationem suam. O misera gaudia! Videsne Studiose, quo aeduat libertatis nimis amor; edendi, bibendi, ludendi cupido immoderata? Quere iam infelicem Leontium, quid de deliciis sentiat? Blasphemia, perjurya, & si qua horridiora sunt scelera, inter aleas & pocula discuntur facile. Time, fuge: fortè Leontius hic ex Orco idem tibi dicit, quod alteri cuidam damnati anima dixit:

Post triduum mihi aders. eadem
que patieris. Cave.

